



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

26 Habitum nouitiorum etiam per decem annos deferens, profiteri non praesumitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

tari iure quis potest, ut si paratus sit peccare alterum de duobus peccet potius peccatum minus, c. si quod verus, q. 2. ita etiam iusta causa est dispensandi in voto non iudendi iudo mortaliter malo, cum eo qui probabiliter creditur peccaturus etiam contra votum, ut si saltem minus peccatum committat, cum minus sit sine voto, quam cum voto peccatum mortale committere.

DECISIO XVIII.

Ex consil. 17. alias 15.

18 **V**ouens ingressum religionis, si frater eius Romam venerit, donec frater moriatur, a voti obligatione non liberatur, nec interim uxorem ducere potest; Arg. c. in presentia, & c. tua, de spons. & Nau. in Man. c. 12. nu. 43 & 75. Nec alius in tali voto religionis, etiam si conditionale sit praeter Papam dispensare potest.

DECISIO XIX.

Ex cons. 18. alias 26.

19 **V**ouens ingredi certam religionem, licet non teneatur eam ingredi, si post illud votum ingressus, & professus sit aliam religionem, cap. qui post votum, de regul. in 6. tenetur tamen, si non profiteatur secundam, Anchar. in d. cap. qui post votum.

DECISIO XX.

Ex cons. 19. alias 25.

20 **V**ouens certi Monasterij frater fieri, & illud ingrediens, ante professionem libere ab ea exire, ex S. Th. 2. 2. q. 189. art. 4. & Matrimonium licite contrahere potest, c. 1. de reg. in 6. Quia votum intrandi religionem, & se fratrem faciendi, quoad hoc paria sunt, & eiusdem virtutis, Caiet. 2. 2. q. 189. art. 4. & ideo huic, sicut & illi solum intrando, licet non proficendo, satisficit.

DECISIO XXI.

Ex cons. 20. alias 33.

21 **P**apa, rogatus super dispensatione voti de intranda religione aliqua vna; Respondendo ut aliam ingrediat, praefatum votum non dispensat, ne illo teneatur, sed illud tantum in aliud commutasse censetur, & proinde ad aliam religionem in genere intrandam obligatur.

DECISIO XXII.

Ex cons. 21. alias 23.

22 **O**bligatus ex voto ad intrandam aliquam religionem in genere intrando Carthusianam ante aetatem, qua eius statuta requirunt, & ob id post sex menses nouitatus eijciatur, voto suo satisfecisse non censetur; sed vel ipsam post legitimam aetatem ingredi tenetur. Quia vouens intrare religionem, & intrans, tunc solum voto satisficit, quoad forum conscientiae ad effectum exundi, si ex ea vult exire, vel quia ei ingrata est, vel sibi videtur importabilis: ita S. Th. 2. 2. q. 189. d. 3. & 4. & Caiet. sibi, secus autem si non exeat, aut quia sibi ingrata, aut quia sibi impossibilis videtur sed ideo quia statuta ordinis repugnant: vnde cum vouens intrare religionem in genere, non solum tenetur aliquam approbatam intrare, sed etiam quam scit, vel scire debet esse sibi aptam, nec se iuste pari defectum ob quem per statuta eius rejci possit; & eam profiteri, nisi ei ingrata, vel importabilis videatur; praesertim cum ipse in particulari religionem Carthusianam non vouerit, non obstante ingressu, & egressu praetato ad aliam religionem intrandam, vel eandem post debitam aetatem, & sublato impedimento tenetur, nisi iusta aliqua de causa cognita, Papa votum suum vel relaxet, vel in aliud commutat.

DECISIO XXIII.

Ex cons. 22. alias 42.

23 **V**otum emittens de non tangendo mulierem libidinose, votum castitatis emittens non censetur; sicut

neque qui votum de non ducendo uxorem emisit, castitatem vouisset, indicari debet: ex Man. c. 12. nu. 43. cum multo plura votum castitatis, quam hoc votum includit, votum etenim castitatis omnia ea includit, quae in 6. Decalogi praecipio prohibentur; Man. c. 17. nu. 12. immo & Matrimonium, & copulam eius; c. Vouentibus, 12. q. 1. & consequenter Episcopus in tali voto de non tangendo mulierem libidinose dispensare potest; cum tamen castitatis votum Papae referuatum sit ex Nauar. in Man. c. 12. nu. 75. & 76.

DECISIO XXIV.

Ex cons. 23. 26. alias 7. 22.

24 **P**roponens longo tempore intrare religionem, & tandem proferens haec verba; *Promitto mori in religione*, votum religionis omisisse censetur; sic enim dicendo, tacite dixisse videtur, promitto intrare religionem, & in ea mori; votum autem generale de intranda religione ualet, c. constitutionem, de reg. in 6. cui voto non satisfacit selu intrando religionem, nisi etiam eam profiteatur, in eaque moriatur; cum uirtualiter sic dicendo duo uota fecisse uideatur; Alterum de intranda religione; & alterum de perseverando in ea; quorum prius completur intrando tantum, posterius autem non nisi proficendo, ex Nau. in Man. c. 12. nu. 47. Sufficit autem quamcumque religione uoluerit profiteri, quia promissioni indefinitae, & Generali per unum suppositum sit satis, gl. in c. circa, de elect. in 6.

DECISIO XXV.

Ex cons. 59. alias 52.

25 **V**ouens intrare certam religionem, si ad scientiam necessariam ingressui illius ordinis pertineret, & reiectus ab uno Monasterio illius ordinis ob eius insufficientiam, non censetur uoto satisfacere, eo solo quod ab uno Monasterio sit repulsus, sed alia Monasteria illius ordinis quaerere tenetur, ut libera uoto esse possit; & dare opera debet studijs, ut pro illa religione aptus inueniatur, ne ex parte sua impedimentum sit, et uotum in illa recipiatur; quamuis enim uouens religionem sub conditione non obligatur, donec conditio adimpleatur, c. si pro te, de rescriptis, fatagens tamen ne adimpleatur ea, uoti reus iudicatur.

DECISIO XXVI.

Ex cons. 14. alias 7. de solution.

26 **O**blata a parentibus in aetate pupillari Monasterio cu dote, & habitum nouitatum etiam per decem annos aut plures gestans, ex Innoc. & Pan. in c. ex parte, de regul. Card. in cle. eos, tit. eod. Tab. uerb. nouitatus, & Ang. eod. nu. 12. & saepe dictis & factis ostendens se animum proficendi non habere, nec unquam habuisse, ex tali habitus gestatione nec uotum, nec uoti ratificationem emisisse censetur; sed liberè a Monasterio exire, & Matrimonium contrahere potest, c. 1. §. 1. de reg. 6.

DECISIO XXVII.

Ex cons. 27. alias 35.

27 **V**ouens ingressum religionis, & saepius eam ingressus, sed ante finitos annos nouitatus, aut emissam professionem egressus, ob difficultates quas in religione reperit, & semper scrupulis agitur dubitans etiam quod non saluabitur, si in statu seculari moriatur, tua conscientia uitam clericalem secularem ob experientiam, quam habet suam in permanendo in religione inconstantia eligere, & tentationes malas frequenti oratione repellere potest.

DECISIO XXVIII.

Ex consil. 28. alias 20.

28 **R**eligionem qui causa certorum uotorum penaliu, quae fregit, intrare tenetur, sed debita quaedam solutio habet, praefata debita prius soluere, quam religionem ingredi debet; ex S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 63. Nec in fraudem credito um religionem ingredi potest, si habeat, unde ea soluere ualet.

DE